Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.LIII.

et bonum gratie gratum facientis qua pervenitur ad excellentiam glorie. Accipe igitur primo quod Rome quidam Regulus fuit qui magna pro civitate Romana exercuit pro quibus sepe bellavit et vicit. Tandem a Carthaginensibus captus fuit et qui multos ligaverat ipse ad vincula manus dedit. Cumque Carthaginenses vellent cum Romanis mutare captivos cum suis ambasiatoribus Romanis miserunt hunc regulum credentes quod fideliter ad hoc laboraret ut et ipse a vinculis liberari posset. Prius tamen ab eo iuramento accepto quod ad carcerem rediret si hoc optinere non posset. At ipse fidelissimus civitati Romane cum hoc facere eis non expedire cerneret coram Senatu contionatus est ut postulata non facerent quia plus captivos tenere mallent quam sic civitati consuleret quod non utile foret. Cumque Romani eum tenere vellent nec ad reditum cogerent ille se licet occidendum sciret ne tamen fidem iuramenti infringeret Carthaginem redijt tunc qui eos fefellit crudele mortis genus accepit quia in dolio stricto missus clavis undique acutissimis perforato et pleno cum se nisi super clavos vertere non posset citissime vitam finivit.

Quis hodie christianus sic christo fidelis ut sue civitati hic fuit quis per verum deum iurans sic observat sicut quod per falsos deos iuraverat Regulus observavit. Macrobius narrat de quibusdam servis qui adeo fideles fuerunt dominis suis quod non timuerunt mori pro eis. Narrat etiam quod cum quedam civitas semel ab hostibus esset obsessa et fame nimia laboraret, femine civitatis omnes simul patientes et famem simulantes fores exierunt ad hostes. Quas cum illi cum gaudio excepissent et unusquisque suam accepisset cum qua in nocte dormiret ille ut inter se con-